



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

De Matrimonio Contracto Contra Interdictum Ecclesiae. Titvlvs XVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

utrimve ad religionem transierit, ut promisit, an contra promissionem a suam in domo remanserit, & qualiter seras illas fecerit referari, utrum videlicet artificio medici, an concubitu viri, seu alio quolibet modo: nostamen perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri: sententiam divortii per errorem licet probabilem novimus esse prolatam, cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiseretur: & ideo inter ipsam & primum virum dicimus matrimonium existisse: quare inter eam & præfatum Guil. matrimonium non esse censuimus, eosque præcipimus abinvicem separari. Et si prædicta mulier ad religionem transierit (sicut asserit & promississe) primus vir, qui non cognovit eandem, cum ea remaneat, cum qua postmodum ecclesie auctoritate contraxit: alioquin ea dimissa, debet ad illam redire, cum qua primò contraxit, nisi fide voto mulier illa constrinxerit ad continentiam observandam, ut intelligatur per hoc cum præfato Guil. fornicata fuisse, vel nisi se fornicario modo alii viro miscuerit, ut primus vir prætextu fornicationis, ejus velit consortium declinare: nam si tantum simpliciter verbo se promisit continentiam servaturam, & postea in conspectu ecclesie nuptis memorato Guillel. quamdiu articulus iste dubitabilis erat, presumi non debet, quod fornicaretur cum illo, sed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere. Per hæc & autem questionem illam noviter esse solutam, qua quaeritur, utrum ea, quæ adeo arcta est, ut nulli possit carnaliter committeri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo a violentia inferatur, non solummodo levis, sed forte tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi. Similiter illa, quæ viro cui nupserrat, adeo arcta est, ut nunquam ab eo valeat desolari: si ab eo sit per judicium ecclesie separata, & nubit alteri, cui arcta non sit, & per frequentem usum secundi, reddatur etiam apta primo: utrum ad eum redire debeat, cum quo prius foedus inierat conjugale. De talibus autem non est facile judicandum: cum finale judicium pendeat ex futuro.

CAP. VII

*Si uxor dixit virum, cui cohabitavit per triennium, non habere potentiam coeundi, eis hoc jurantibus cum septima manu propinquorum, matrimonium separatur. b. d. inhærendo verbis licita.*

Honorius III. e

**L**iteræ vestræ nobis transmissæ continebant, quod cum causa matrimonii quæ inter M. Mulierem & A. ejus virum vertitur, vobis fuisset ab I. Papa prædecessore nostro commissa: dicta M. proposuit, quod cum octo annis elapsis dicto A. fuisset matrimonialiter copulata, & licet diu cohabitasset eidem, adhuc integra permanebat, eo quod prædictus vir ejus non habebat potentiam coeundi: quare petebat divortium celebrari. prædictus verò A. fatebatur, quod illam nunquam cognoverat: tamen se habere potentiam cognoscendi alias adferebat. Vos verò, ne id confiterentur in fraudem, à matronis bonæ opinionis, fide dignis, ac expertis in opere nuptiali, dictam fecistis inspicere mulierem: quæ perhibuerunt testimonium ipsam adhuc virginem permanere. Postmodum per Presbyterum, de cujus parochia vir ex-

*a* Dicitur suam, deest in antiq. exemplaribus. *b* Hac verba, sicut asserit prom. desunt in omnibus Vaticanis, habentur tamen in alii paulo recentioribus & antiqua compilat. *c* al. per hoc autem. *d* al. aut alio simili modo, &c. *e* Si hæc decretalem intelligas juxta communem sensum, ut loquatur de eo qui per maleficia factus erat impotens ad congressionem cum uxore, vide *Sol. q. sent. dist. 34. q. 1. art. 3.*

titit, fecistis inquiri, utrum ipse aliquam cognovisset: nec per inquisitionem ipsam vobis constare potuit, aliquam esse carnaliter cognitam ab eodem. Muliere autem requirente divortium, & dicente, quod mater esse volebat, & filios procreare, proponente verò viro, quod paratus erat stare consilio ecclesie, injunxistis eisdem, ut agerent poenitentiam de commissis, & sic forte placet Deo, qui matrimonii fuit institutor & auctor, ut opus matrimonii consummarent: qui post plures terminos ad vestram reverti præsentiam, consona voce dixerunt, quod non poterant carnaliter committeri. Quocirca mandamus, quatenus si ita est, & constiterit vobis præfatum virum & mulierem, intra prædictos octo annos, per continuum triennium insimul habitasse: ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commiseri carnaliter nequivisse, proferatis divortii sententiam inter eos.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIE.

TITVLVS XVI.

CAP. I.

*Matrimonium contra interdictionem ecclesie, vel judicis factum seu contractum, propter hoc solum non dirimitur: imponitur tamen poenitentia sic contrahentibus, & separantur, donec cognoscatur de causa interdictionis in effectu totius istius tituli.*

Alexander III. Papien. Episcopo.

**L**itere b, quas tua nobis fraternitas destinavit, expressè declarant, quod cum quidam sororem suam jam nubilem cuidam se daturum in uxorem ea præsentem & consentiente, præfatum juramento firmasset: & illa non post multos dies dona & munera viri secundum morem terræ spontè suscipiens, ipsum tanquam proprium virum sæpe amplexata fuisset: tandem mortuo fratre, à proprio viri sui fratre se desponsari permisit, & quod ab illo cognita fuisset, mendaciter adseverat. Cumque ei prohibuisses publicè, ne cui illorum, vel alicui d se copularet, ipsa spretis monitis tuis, alii nubere non expavit: demum cum mulieri præcepisses, ut ad domum matris rediret, ipsa nostram audientiam appellavit: [ 1 & 7. ] Mandamus, quatenus si est ita, præfatam mulierem, (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas, & imposita sibi de tanto excessu poenitentia condigna, postquam in domo materna per mensem steterit, ad tertium reverti permittas.

[ 1 Verum quoniam sollicitudini nostræ incumbit excessus & enormitates aliorum corrigere, & ad modum & formam rectitudinis revocare: s. t. p. a. f. ]

CAP. II.

*Sponsalia de futuro cum una etiam contra interdictionem ecclesie contracta, non habent dirimere matrimonium postea contractum cum alia.*

Idem Vigoren. & Baron. Episcopi. e

**E**X literis s. Cantuarien. Archiepiscopi ad nos pervenit, quod cum G. de sancto Leodegario M. filium suam absentem, cuidam R. nomine desponsasset: [ 1 & 7. ] Postea orta suspitione, quod præfatus R. ad alia desideraret vota transire, ad examen fuit dicti Archiepiscopi causa perlata: qui sub anathematis interminatione prohibuit, ne antequam de præscripto negotio plenè constaret, vir

*a* In uno Vaticano: si forte placeret Deo, qui matrimonii fuit institutor & auctor, opus matrimonii consummarent, &c. *b* C. 1. eod. tit. in 1. comp. *c* ab eod. *d* alii: sed in antiquis, alicui. *e* Vigoren. & Baron. al. Vigornen. & B. sed serè in om. manuscr. Vigor. & Baton. *f* C. 3. eod. tit. in 3. comp.





ad secunda vota transire: sed ipse prescripta prohibitione contempta, filiam G. in facie ecclesie sibi solemniter copulavit uxorem: [ 2 & 7. ] Cum Archiepiscopus vellet de matrimonio primo cognoscere, dicta M. appellationis vocem emisit: cujus appellationi Archiepiscopus defrens, eidem sub excommunicationis interminatione districius interdixit, ne cui nuberet, donec causa ipsa finem debitum sortiretur: ipsa tamen de remedio appellationis confusa, cuidam alii Gu. nomine nupsit: [ 3 & 7. ] Mandamus, quatenus si nihil confiterit, quod impediatur, prater consensum de futuro, qui inter prefatos a. R. & M. adferitur precessisse, secunda matrimonia inviolabiliter observanda sublato appel. obstaculo iudicetis. Licet enim contra interdictum ecclesie ad secunda vota transire non debuierit, non est tamen conveniens, ut ob id solum sacramentum conjugii dissolvatur: alia b tamen poenitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionem ecclesie hoc fecerunt.

[ 1 Post modicum tempus quibusdam ipsius mulieris consanguineis procurantibus, memoratus R. cum ea presente verbis presentis temporis contraxit. sicut dicitur matrimonium. Fide bincimale corporaliter praestita, quod vir mulierem sicut uxorem legitimam de castro exhiberet, & ipsa reverenter ei sine contradictione, sicut viro legitimo obediret, nihilque desuit, nisi solemnitas in facie ecclesie celebranda, quae propter tempus quadragesima tunc non potuit effectus mancipari. ]

[ 2 Postmodum vero duabus mulieribus & viro coram Archiepiscopo constituta, praedictus R. publice confessus est, secum M. sicut superius dictum est, matrimonium contraxisse, & aliam f. Mandam prava quorundam suggestione seductum postmodum accepisse. Maria vero constanter asseruit, quod pater eius non moveras de voluntate eius querelam, dicens quod inter ipsam & praefatum R. excepta sola fide de contrahendo matrimonio nulla obligatio intercesserat: quam quia ipse non servaverat, servare immitti non debatur: & ideo eam quam secundo accepit, relinquere. Coram autem alia presat. R. tanquam proprium virum sibi restitui postularet. ]

[ 3 Et super hoc citata coram Archiepiscopo nobis propter appellationem quam objecerat, apparere. Cum igitur absentibus partibus non videretur nobis negotium finiendum, ipsam experientia vestra de qua multum confidimus committentes. ]

## CAP. III.

Si hi, qui dicebantur consanguinei, contraxerunt contra preceptum iudicis, debent separari, donec de causa cognoscatur.

Idem Paduan. Episcopus.

**D**emuliere c. & infra. Illos autem, qui pro consanguinitate prohibentur conjungi, & post contra interdictum ecclesie se receperint, excommunicationi debet subijcere, donec tandem separentur, quousque legitime cognoscatur, utrum eorum matrimonium possit & debeat iure stare.

## QVI FILII SINT LEGITIMI.

## TITVLVS XVII.

## CAP. I.

Natur alio ex saluto gentis & soluta, legitimitate per subsequens parentum conjugium, etiam quoad hereditatem.

Alexander III.

**C**onquestus d est nobis H. quod cum quandam mulierem in uxorem acceperit, R. patruus mulieris ipsam exheredare conatur, eo quod

a Trasatum. b aliqua in recentioribus nam in omni veteribus alia legitur. c C. i. tit. de spons. s. illor. in i. comp. & post concil. Lat. sub Alex. III. p. 6. c. 19. d C. i. eod. tit. in i. comp. & post conc. Lat. sub Alex. III. p. 33. c. 3.

ante desponsationem matris suae nata fuerit, licet postea pater mulieris praefata matrem ipsius acceperit in uxorem. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, eam legitimam iudicetis, praedicto R. inhibentes, ne dicta mulieri hac occasione super hereditate paterna molestiam inferat, vel gravamen. Si autem contra hoc venire praesumpserit, cum a severitate ecclesiastica procedatis.

## CAP. II.

Separato matrimonio in facie ecclesie contracto, filii geniti vel concepti ante sententiam sunt legitimi.

Idem.

**C**um b inter I. virum, & T. mulierem divortii sententia canonice sit prolata, filii eorum non debent exinde sustinere iacturam, cum parentes eorum publice sine contradictione ecclesie inter se contraxisse noscantur. Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & qui c concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, & quod in bona paterna haereditario iure succedant, & de parentum facultatibus nutrantur.

## CAP. III.

Statutur verbo viri & mulieris, qui negant aliquem filium, nisi iudicium & testibus probetur contrarium.

Idem Rothomagen. Archiepiscopus.

**T**ransmissa d nobis tux literis continebatur, quod cum N. usque ad juventutem quandam puerum nutritivisset, uxore sua M. tunc non desponsata sibi colubitante, postmodum ipsam legitime desponsavit, & filios sustulit ex eadem: quibus paternam haereditatem petentibus, praedictus juvenis e contradiciti, gerens se filium & haeridem, quamvis a vicinia, quae ipsum filium eorum esse crederet, spuris diceretur: praedicti vero N. & uxor ejus praefatum juvenem spurium suum, aut legitimum filium esse negabant, sed dicebant, quod cum pietatis intuitu nutritivissent. Cum autem questio coram te mota esset, & praedictus juvenis pro eo, quod iuri stare nolebat, vinculo sit excommunicationis adstrictus: Consul. t. r. respond. quod in tali casu standum est verbo viri & mulieris: nisi certis iudicibus & testibus confiteatur, esse f filium juvenem memoratum.

## CAP. IV.

Illegitima proles est, quam viro vivente uxor ex adultero concepit, sive cum adultero, sive cum viro mortuo.

Idem Exoniens. g &amp; Vincianens. Episcopus, &amp; Abba. Herforden.

**C**ausam b qua: [ 1 & 7. ] Si confiteris, quod Agatha de Anelina muliere tempore Alani viri filii ipsa cum eo tanquam cum viro suo morante, vel Repare dicit Agatha ipsam A. adhuc habente virum publice renente nata fuit, eam non fuisse legitimam ejusdem R. filiam iudicetis: quia non potuit esse uxor, quae viri sui torum maculans, alii dum ille viveret, copulari praesumpsit.

[ 1 Inter nobiles viros E. & S. de Arden. quandam filiam Agatha de nativitate ipsius vertitur vobis f. sp. & ven. f. n. London. ep. sub certa forma commissimus terminandum: Verum quatenus idem E. de Arden. presat. London. Episcopus amicus habebat pro eo quod dominus est praedicti R. amovendum. & si filii Abba. loci illius diximus subrogandum, per Apost. itaq. scripta vobis mandamus, quatenus. ]

a In alio, contra eum: sed in omnibus antiquis, ut est impressum. b C. 2. eod. tit. in i. comp. & post conc. Lat. sub Alex. III. p. 33. c. 5. c conceptus. d C. 2. eod. tit. in i. comp. & post conc. Lat. p. 8. c. 11. e contradixit. f in aliquot exemplaribus filium esse ibidem, sed in antiquis, ut est expressum. g Exon. & Vincianens. sed rectius ut est impressum. h C. 2. eod. tit. in i. compilat. vide e. causam qua. supr. de delo. & cap. causam qua. supr. de off. deleg. C.A.T.